

1728.

1. Bauerus, Ius. Gottfried : Restitutione militari
2. Consalvi, Franciscus Cordes : De patre, fratre, quae
dotem amissi, iherum detare ergendo.
3. Consalvi, Franciscus Cordes : Ad Exi Pauli
ex libro singulari de jure singulari religia.
4. Finckelius, Gottlieb Wilhelm : De excochione
dabio
5. Eckardt, Petrus Gerhard : Anct in qua tun riven.
tarie remissio Cura sit? simulque lectiones
uestivas in dicto
6. Gmehiller, Michaelius I. Fac med. procurariis:
Programma, quo panegyrici medicam Frvni Christi
pluri Petri indicat.
7. Franckenstein, Jacob Augustus : Personata typica
in jure bretia.



1728.

89. ⁸ Franchenlein, Thiel Augustus : *De educatione iuris.* 18
ff. Nethomus . . . 2 Sept. 1728 - 1747

9. Francis, Henricus Galliob : *De juro prudentia
seculorum Germanorum observationibus quibus
Item historico-politicis illustrata.* 15

10. Gauthier, Corbinus Gauthier : *De foemina debitisce
ex pacto ad casceres obligata.* 16

11. Gauthier, Petrus Gauthier : *De iure legatorum in
diem vel sub conditione relictorum.*

12. Gröner, Michael Herv., Collegio Lehrum ordinarius :
lectori b. s. p. d: *Programma, quo communiones
ad disputationes publicas invitatur.*

13. Grubner, Michael Herv., Collegio Lehrum procancelarius :
*Programma, quo solennia inauguralia Dr. Christopheri
Schmidii indicit.*

1728

14. 15. Gruberus, Mich. Hus: De subpenderum imperio,
quae alii immiedata fonda fuerant, praeogra-
tiva.

15. Gruberus, Mich. Hus: De Corvli IV bullis Toscana
Saxonia.

16. Huelerus, Gruberus Balthasar: Neo, quod secun-
dum naturalis aequitatis principia nemo fortis
valide possit stipulari.

8.2.7

D 280

P 4.12 num. 13. ~~X. 4.~~

1728, 16.

20.
DISSE^TATIONEM PHILOSOPHICAM
DE EO QVOD
SECUNDVM NATURALIS
AEQUITATIS PRINCIPIA
NEMO TERTIO VALIDE
POSSIT STIPVLARI
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
ORDINIS CONSENSV
AD DIEM I MAII A. C. 1728
PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SUBMITTVNT
FRATRES CHEMNICENSES MISNICI
P R A E S E S
M. FRIDERICVS BALTHASAR
HÜBLERVS
ET
RESPONDENS
CAROLVS BALTHASAR
HÜBLERVS.



LIPSIAE
LITERIS BREITKOPFIANIS.

DIESER TATTOON PHILOSOPHICUM
DE EO QVOD
SCHOLIA MATERIALE
AEQVITATIS PRINCIPIV
MANUSCRIPTO VALDE
POTISSIMUM
AMPLISSIMUM PHILOSOPHORVM
ORDINES CONFINES
PAPALICIS RURIBUS ORBEM EXAMINI
TERRITORIES CIRCUITUS MERICI
PER ASTRAS
W FREDERICVS BALTBVR
HUBELRAS
CAROLVS HABER
HAROLDVS
PIETATIS
MANUSCRIPTO VALDE



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. Quod fides data servanda sit.

§. II. In quantum Jus Civile Romanum a naturali hac, de fide pactorum servanda, æquitate desciverit.

§. III. Quando Jus Civile Romanum conventionem quandam invalidam pronunciat, inquirendum est, num nempe ex rationibus foro Romano propriis, an vero ex rationibus insimul ex æquitate naturali petitis , talem conventionem rejecerint. Priori enim casu talis conventio in foris Germanicis

X

niciis

Conspicetus Dissertationis.

nicis rejicienda haud erit, bene vero posteriori.

§. IV. Jctus solidiore Philosophia^m moralis cognitione instructus esse debet.

§. V. Argumentum Dissertationis, cuius fundamentum §. 4. J. de inutil. stipul. atque exin quæritur: Num & secundum Juris Naturalis principia valide quis tertio poscit stipulari.

§. VI. Definitio pacti ejusque demonstratio.

§. VII. Definitio consensus ejusque requi-sita.

§. VIII. Consensus præsumptus seu fictus plane non est consensus.

§. IX. Divisio pactorum in μονόπλευρα & δι-
πλευρα & demonstratio, quod in μονο-
πλέυροις, seu promissis gratuitis utrius-
que, & promittentis & promissarii
consensus satis declaratus necessario re-
quiratur.

§. X. Requisita & definitio stipulationis ter-
tio factæ.

§. XI.



Conspiclus Dissertationis.

- §. XI. Quod nemo tertio valide possit stipulari, eo effectu, ut illi tertio jus perfectum exin acquiratur.
- §. XII. Aequo minus pro tertio valide promittere quis potest. Quid sit pro tertio promittere.
- §. XIII. Romani naturalem pactorum indolem, non mera stipulationum solennia respexerunt, quando stipulationes pro tertio inutiles pronunciarunt.
- §. XIV. Illæ stipulationes tertio factæ promissorem perfecte omnino obligatum constituunt, sub quibus ipsius stipulatoris utilitas versatur.
- §. XV. Ex hoc fundamento parentes liberis valide stipulantur.
- §. XVI. Promissor perfecte quoque obligabitur stipulatori, quamvis hujus nonnisi generaliter intersit, amicum ea consequi, quæ promissor stipulanti pollicitus est.

) 2

§. XVII.

Conspiclus Dissertationis.

- §. XVII. Grotii & Puffendorffii opiniones
hoc de argumento recensentur.
- §. XVIII. Consultiss. Wernheri assertum,
quod facultas Wittenbergensium Ju-
ridica hanc conventionum speciem va-
lidam pronunciaverit.
- §. XIX. Quod Romani voluerint stipulato-
rem per pecunia adjectionem specialiter
determinare debere, quantum ejus in-
tersit. Balduini pronunciatum ad §. 4.
J. de inutil. stipul. indagatur.



§. I



§. I.

Religiosissimum esse Juris Naturalis præceptum, ut quilibet hominum fidem datam integre servet, præmissaque & pacta sanctissime expleat, neminem, credo, ignorare, qui divinam hanc Jurisprudentiam vel primoribus labbris attigit. His quoque de causis necesse haud erit, ut veritatem hujus asserti, ad prima usque Naturalis Juris principia excurrentis, concatenata demonstratio ne a priori deducam, totus mihi persuadens, quemlibet sana ratione præditum, facili negotio perspicere posse ingens ac inevitabile illud incommodum, universæ societati humanæ necessario imminens, si cuilibet integrum esset fidem datam fallere, pactaque cum altero inita pro lubitu revocare. In totum hac ratione corruet omnis pactorum finis, in hoc nempe repositus, ut quis sibi alterum per pacta perfecte obliget, quem antea ex solo capite de præstandis officiis humanitatis, imperfecte obligatum habebat.

A

§. II.

§. II.

Evidem in quantum Jus Civile Romanum a naturali hac, de fide pectorum servanda, aequitate desci-
verit, illis, qui juridicas scholas frequentant, minime
erit ignotum. Non enim ex quavis conventione aut
pacto obligationem & actionem in foro efficacem Ro-
mani concedeabant, sed plurimis obligationum gene-
ribus certam formam externam, certumque ordinem
præscriperant, quibus stricte non observatis, nec obli-
gatio civilem effectum conseqebaratur, sed tanquam
pactum, quod vocabant, nudum in tantum negligeba-
tur, ut actionem in foro produceret nullam, licet ex-
ceptionem tribueret reo, I. 7. §. 4. D. de Paet. unde ori-
ginem suam desumferunt divisiones conventionum Ro-
manis usitatæ & hodienum in Jutorum libris perulgata-
ta. Ast e contrario Germanis semper integra fides &
promissorum expletio, spretis nimiis solennitatum no-
minumque subtilitatibus, quibus Romani tantopere
oblectabantur, cordi fuit ac religioni, adeo ut, quan-
tumvis celeri progressu Romanorum Jura scripta mori-
bus Germanorum se immiscuerint, atque in multis eos-
dem etiam vicerint; Germana tamen pectorum fides
ad nostra usque tempora, saltem in judiciis nostris, in-
victa persisterit.

§. III.

Nihilominus cum Jus Romanorum Civile in
Germania saltem in subsidium receptum esse fateantur
omnes, & Germani tamen, ut dictum in §. II. antiquam
in servandis pactis fidem, spretis solennibus Romanoi-
rum inter pactum & contractum differentiis, tenacissi-
me in foris suis custodiverint: caute sane judicandum
erit,

erit, sicuti contractum aliquem, vel pactum, tanquam inutilem Jure Civili rejectum videoas. Quodsi enim Jus Civile Romanum conventionem aliquam invalidam pronunciet, atque subductis diligenter ac cum judicio rationibus, quæ Romanis induxerint, ut conventioni validitatem denegarent, deprehendas, omne fundamentum in subtilibus illis Romanorum contractuum, pactorumque differentiis, nullum vero in naturali æquitate esse situm: ex generali Germanorum regula de fine pactorum indistincte servanda, hujusmodi conventione, quantumvis legibus Romanis rejecta, obtinere tamen in Germania debet, cum Juri patrio prævalenti Jus Romanum extraneum, eo quod nonnisi in subsidium illius receptum est, cedere procul dubio debeat. Sin Jus Civile ob rationes naturales, easque five solas, five & naturales & civiles, conventionem quandam reprobet; quandoquidem non negandum, legum Civilium latores non semper utrumque oculum ad solas civiles fori sui rationes, sed sæpiissime alterum saltē ad æquitatis naturalis dictamina habuisse defixum: ea sane conventio, ex rationibus humano generi communibus rejecta, non solis Romanis, sed & Germanis, imo gentibus omnino omnibus, reprobanda necessario erit.

§. IV.

Ex hisce sua sponte fluit, cum Germani in foris suis tam rigorosi & olim fuerint, &, saltē intuitu pactorum, hodienum sint simplicissimæ naturalis æquitatis affectæ, ut eam vel subtilissimis Romanorum solennitatibus prætulerint; hanc solam, æquitatem puta, sæpiissime genuinum esse fundamentum, ex quo usus le-

A 2

gum

4 De eo quod secundum naturalis æquitatis principia

gum Romanarum practicus cum ratione decidi possit, sic etenim, si lex civilis stipulationem inutilem arguit ob æquitatis naturalis rationes, eadem & in foris Germaniae inutilis erit: sin ex rationibus foro Romanorum, ad legis actiones adstricto, propriis, ea jactata inutilitas ad nos haud pertinebit. Et cum vera æquitas naturalis solidiore Philosophiæ moralis cognitione nittatur; ulterius manifeste sequitur, bonum JCtum, etiam Practicum, solidiore dictæ Philosophiæ cognitione sine turpissima rabulissimi nota carere haud posse; & usum adeo Philosophiæ, in primis moralis, omnino etiam ad Jurisprudentiam, & quidni in ipsum forum, transferri utilissime & posse & debere. Quæ ipsa agnita veritas nos movit, ut exemplo aliquo haud contemnendo, eam in præsentiarum illustremus: nec reprehendendum duximus, illud in hac Philosophorum læstra examini publico subjicere.

§. V.

Speciminis nempe loco nobis inserviat decantata illa de stipulatione tertio facta controversia, cuius fontem nobis exhibet § 4. J. de inutil. stipul. qui ita habet: *Si quis alii, quam ei cuius juri subiectus sit, stipuletur, nihil agit; it. §. 18. J. tit. eod. Alteri stipulari nemo potest. Inventæ enim sunt hujusmodi stipulationes vel obligationes ad hoc, ut unusquisque acquirat sibi, quod sua interest: ceterum si alii detur, nihil interest stipularis;* porro l. 38. §. 17. D. de Verb. Obl. *Alteri stipulari nemo potest, præterquam si servus domino, filius patri stipuletur;* denique l. 73. §. 4. D. de R. J. *Nec pacificando, nec stipulando quisquam alteri cavere potest:* & qui sunt reliqui Juris civilis de hoc argumento textus: de quibus

bus quæstio non sine multo dissensu inter JCTos ventilatur, num hæc Juris Romani dispositio æquitati naturali, quam Germani circa pacta & conventiones in foris suis maxime respiciunt, satis sit conformis: an vero ex solis verborum solennium, quas Romani religiosissime colebant, legibus, secundum quas nemo pro alio lege agere vel promittere poterat, dicta dispositio originem trahat? Prius enim si est, (puta, si stipulationes tertio factæ ipso Jure Naturæ & Gentium inutiles sint,) nulla sane appareat ratio, quidni & in foris Germania? Sin posterius, non video, qua ratione Germani, spredo dictæ inutilitatis harum stipulationum principio, verborum nempe solennium carmine, conclusionem ipsam nempe earundem inutilitatem in foris suis asserere possint. Nos priorem sententiam, quod nempe stipulationes tertio factæ ipso Jure Naturæ & Gentium inutiles sint, hac ipsa Dissertatione demonstrandam, & contra dissentientium rationes evincendam nobis sumimus: quæ disquisitio unice Juris Naturalis atque adeo a Philosophorum sacris haud aliena est: ut ut, uti dictum, insignet in Jurisprudentiam & in forum transfundat utilitatem.

§. VI.

Præsupponimus principii loco, pactum esse mutuum duorum pluriumve consensum fatis declaratum, quo alter alteri ad ejusmodi officia perfecte se obligat, ad quæ absque conventione alter alteri perfecte non erat obligatus. Requiritur ad omne pactum utriusque pacientis consensus: nam objectum pectorum talia sunt officia, quæ, quantumvis certo omnibus hominibus incumbant in abstracto, cum homo homini etiam an-

A 3

te

6 De eo quod secundum naturalis æquitatis principia

te pactum pro virili inservire teneatur, in concreto tamen, seu in ipsa applicatione variis, pro infinita circumstantiarum varietate, exceptionibus sunt obnoxia, ut quis ea vix unquam tuto ab altero expectare, vel ab in-vito illa extorquendi jus sibi arrogare queat, nisi sublatio omni illo tot exceptionum prætextu. Ergo si quis alterum, nonnisi imperfæcte, ex solo capite de præstatu dis officiis humanitatis obligatum, ratione certorum ejusmodi officiorum perfæcte obligatum velit habere, id sane nullo modo aliter fieri poterit, quam per mutuum consensum, vi cuius pacifcentes certa officiorum genera determinant, seque ad illorum præstationem eo cum effectu obligant, ut jura & obligationes, quas si bi hac ratione acquirunt, non amplius conscientia obligati internæ relinquantur, veluti officia liberalitatis & misericordiæ, sed necessaria fiant, ita ut in statu naturali per bellum, in statu vero civili per actiones forenses ab invitis possint extorqueri. Ex eodem fundamento patescit, consensum, quo jus & obligatio pacificia produci debet, esse debere mutuum: cum infinita illa exceptionum varietas, quæ ante pactum jus alterius & alterius obligationem, seu officium, vel utriusque applicationem dubiam aut ambiguam reddit, & a parte stipulatoris & a parte promissoris facile inveniatur æqualis, atque adeo consensu stipulatoris æque opus sit, ut jus ipsius, ante consensum incertum, fiat certum & perfectum, ac consensu promissoris, ut ejus obligatio certa fiat ac perfecta.

§. VII.

Omne pactum nititur consensu per §. præc. Consensus est acceptatio & approbatio ejus, quod ad delibera-

berandum proponitur. Tria itaque requiruntur ad consensum pactitium: primo notitia ac deliberatio intellectus, deinde decretum voluntatis eorum, quibus per pactum vel jus perfectum acquiri, vel obligatio perfecta debet imponi; tandem reciproca utriusque hujus voluntatis decreti manifestatio. Quia enim mutuus utriusque paciscentis consensus id debet efficere, ut omni ab utraque parte prae-textui, jus aut obligacionem, de qua agitur, declinandi, renuntietur; idque fieri nequeat ab illo, qui jus aut obligationem imperfectam, cui perfectæ robur conciliari debeat, non novit: manifestum est, consensum pactitium esse non posse sine notitia ac deliberatione intellectus. Unde porro sequitur, quod uti consentire, ita valide pacisci nequeant, qui vel usu rationis plane sunt destituti, vel occasione faltem recte illam applicandi, alterius dolo privantur; tales enim, cum deliberationis ad pacisendum requisita non sint capaces, nec consensum interponere possunt, ubi vero consensus deficit, ibi nec pactum potest consistere. Porro, juxta sufficientem deliberandi facultatem, decretum voluntatis ad consensum pactitium requiri, per se patet: quia enim dicere posses, eum consentire, qui non vult, aut cuius volendi facultas se haud quicquam actu determinat? Postremo hujus facultatis decreti reciprocum a parte utriusque requiri declarationem externam, inde claret, quod jus & obligatio perfecta consensu pactitio acquiri debeat, & vero jus aut obligatio, quam seire nequidem possit, nulla sit, & propositum adeo in mente revertentum nihil omnino juris vel obligationis operari a parte alterius ignorantis possit.

§.VIII.

§. VIII.

Sed quæritur, annon saltem præsumtio consensus defectum veri consensus suppleat, eo quidem effectu, ut statuere debeamus, adesse pactum, ubi rationi conveniens est, consensum præsumere ejus, qui, quid rei jam agatur, ignorat, certo certius consenserit, dummodo sciret negotium, quod geritur? Unusquisque enim facile judicabit, Dissertationis nostræ argumentum utique requiri, ut hæc quaestio paulo accuratius exequiatur. Sane facilissima ista consensus præsumtio fecit, ut Romani, cum omne jus ad rem, omnemque adeo obligationem, vel ex contractu esse supponerent, vel ex delicto, & ad delicta hujusmodi negotia, v. g. negotiorum gestionem, referre non possent, ei præsumtio consensus auctoritatem juris conciliarent, adeo, ut quasi contraxisse partes dicerent, Pr. J. de Obl. quæ quasi ex contr. quam quidem consensus præsumtionem, autoritate juris munitam, consensum fictum JCti vocarunt, & pro specie fictionum juris venditarrunt. Hinc originem præsumti hujus consensus, quatenus nimirum a tacito differt, legibus Romanis esse adscribendam, omni dubitatione caret, prout monuit Illustr. Thomasius, Jurispr. Divin. libr. II. c. 7. §. 19. Apud scriptores, inquiens, fere synonymice supponuntur consensus tacitus & præsumtus: Revera tamen post leges Romanas præsumtus consensus & tacitus a se invicem differunt. Intelligent enim leges Romanæ per consensum tacitum tamē, qui, utut non verbis, factis tamen declaratur, tanquam signis, communi quasi consensu generis humani receptis, ad nostram voluntatem declarandam; consensus vero præsumtus illis dicitur, qui,

qui, ubi etiam nulla omnino signa communi consensu generis humani ad declarandam voluntatem recepta, extent, autoritate legum præsumti aut fingi debeat, cum æquitas naturalis utique præcipiat, ut obligatio tale factum concomitetur, vel istud sequatur. Quod vero consensus ille præsumptus, seu fictus, plane non sit consensus, adeoque quasi contractus plane nullus contractus, ex eo ipso patet, quod ille tantummodo præsumitur, seu fingitur, adeoque in rei veritate non adest aut existit. Namque in totum ibi deficiunt singula illa §. præced. a nobis suppeditata & omni consensui essentialia requisita; quid? quod, & ipsæ Romanorum ex præsumto hoc consensu formare conclusiones manifeste ostendunt, consensum præsumtum seu fictum generali consensus ideæ contradicere. Sic v.g. inferunt, ex consensu præsumto illos etiam obligari, qui consentire plane non possint; sic etenim furiosum, cuius e.g. negotia gesta fuerint, ut ut furiosus consentire per naturam nequeat, obligari ex consensu præsumto. Imo, ajunt, inviti quoque ex consensu præsumto obligantur: id quod tamen, si consensus præsumptus vera consensus species est, manifestam implicat contradictionem, cum sic invitus, i. e. qui non consentit, consentire dicatur. Hinc patet, nullo plane fundamento nisi consensum præsumptum, nec ullum adeo producere posse consensus effectum. Quin potius omnes illa obligationes, quas legum Romanarum interpres ex consensu illo præsumto seu ficto deducunt, immediate ex legibus, naturalibus nempe & civilibus, proveniunt, nulla sane habita ratione consensus eorum, qui legibus illis obligari debent, quippe ad validitatem & effectum legis subditum

B torum

torum consensus non requiritur. Inde est, quod istis obligationibus illi quoque efficaciter teneantur, qui nec consentire, nec suo se consensu obligare possunt, manifesto arguento, consensus vel præsumptionem vel fictionem hic plane otiosam esse & frustraneam, ita, ut si cui negotio immediate & per legem insit obligatio, ista obligatio valeat, sive actu velint, sive nolint obligati, & hinc multo magis, sive consensum eorum præsumas, sive non præsumas: si desit legum dictamen & obligatio inde oriunda, negotium inutile pariter sit, quicquid consensus, vel non consensus, in subditis vel fingas, vel manifestissima probabilitatis ratione præsumas.

§. IX.

Cæterum quanquam variæ dentur pactorum species, quas omnes singulatim exponere ab instituto nostro alienum foret, unica tamen saltem divisio expendi hoc loco meretur, qua nempe pacta vel non nisi ex altera parte obligationem perfectam & ex altera jus perfectum producunt, vel qua mutuum ex utraque parte jus, mutuamque pariter obligationem parient, dum utrinque pacientes ad fibi vicissim quid præstantum se obstringunt. Pacta prioris generis μονόπλευρα seu promissa gratuita, posteriora vero διπλευρα, seu mutua dicuntur. Et ad mutua quidem seu διπλευρα utriusque pacientis consensum satis utrinque manifestatum requiri, omnes unanimi consensu largiuntur: Ast de μονοπλέυροις, sive promissis gratuitis dubitari potest, num & in hisce utriusque & promittentis & promissarii consensus satis declaratus necessario requiratur? Non desunt, qui negativæ opinioni calulum suum addunt, existimantes sufficere utique ad pro-

promittentem perfecte obligandum, si hic consensum suum rite declaraverit, quamvis promissarius, ignarus forsitan promissi in ipsum collati, reciprocum non æque declaraverit, vel declarare potuerit consensum, cum utique sufficiat hoc in casu consensus promissarii præsumtus, eo quod nemo facile reperiatur ab amore sui ipsius usque adeo alienus, & utilitatis propriæ tam parum studiosus, qui consensum alteri, beneficium in ipsum collaturo, denegaturus sit; hinc ex consensu promissarii præsumto promittentem perfecte obligari ad rem promissam præstandam. Sed hæc minus recte dici ex eo solo satis colligitur, quod natura pactorum ea quidem repugnant, quippe quæ ab utraque parte consensum mutuum satisque declaratum desiderat, quodque consensus, quem præsumtum vocant, vere consensus non sit, prout §. VI. & VIII. demonstravimus. Hinc potius dicendum, promissarii quoque verum consensum in pactis *μονόπλευροις* essentialiter requiri, illumque per acceptationem declarari quomodo cunque debere, ad jus perfectum promissario & obligationem perfectam promissori acquirendam. Versantur enim & ipsa pæcta *μονόπλευρα* æque ut omnia *διπλευρα*, circa ejusmodi officiorum genera, ad quæ citra consensus mutui declarationem non nisi imperfecte alter alteri est obligatus; hæc igitur officia per §. VI. ob infinitam circumstantiarum, non solum a parte promissoris, sed & a parte promissarii emergentium, varietatem variis exceptionibus sunt obnoxia, ita ut tuto earum præstatio expectari, vel ab invitatis extorqueri nequeat, nisi mutuo, non solum promissoris, sed & ipsius promissarii consensu fuerint determinata, ut promissor se cer-

to ac perfecte obligatum esse sciat, & promissi adimplitionem tempestive curet. Quantacunque enim sit amoris proprii & acceptationis speratae præsumptio, ea tamen a parte promissoris pariter nil amplius, quam præsumptionem obligationis forte futurae, si promissarius oblationem promissoris resciscat, operari potest, non obligationem nunc vero existentem: præcipue cum acceptationis præsumptio tam certa non sit, ut non potius experientia testetur, invito saepe obrudi beneficium, omnemque adeo alteri inserviendi conatum frustra fuisse suscepimus, unde manifeste sequitur, quod & in pactis μονοπλέυροις, utriusque & promittentis & promissarii consensu essentialiter requiratur, si hic sibi jus perfectum, illi vero obligationem perfectam velit constitutam.

§. X.

His itaque præmissis quæstio nobis jam venit ventilanda, num secundum principia naturalis æquitatis valide possit pacisci pro tertio, sive quidem tertio illi stipuleris aliquid, sive promittas? Ubi primo definitum, quid sit illud, pacisci pro tertio, tertio stipulari, tertio promittere: forsan enim harum dictionum ambiguitas nonnihil fecit ad varietatem sententiarum, in quas diversos autores circa quæstionis hujus decisionem ire cernimus. Sunt vero, ni fallor, requisita stipulationis tertio factæ, quod stipulans non sibi, sed tertio jus velit acquirere; hoc ipsum enim est, non sibi, sed tertio stipulari. Pariter stipulator promittentem perfecte obligatum habere desiderat, non quidem sibi ipsi, stipulatori nempe, sed tertio, cui stipulatur. Ergo vera indoles stipulationis tertio factæ in eo consistit, ut
omne

omne jus & omnis obligatio per hanc stipulationem intentata, sit inter promittentem & tertium, ad ipsum vero stipulantem nil quicquam juris vel obligationis perveniat. Sibimetipſi enim si quid juris acquirere intendat stipulator, & promissoris reprobatione accedente vere acquirat, non sane tertio, sed sibimetipſi stipulatus est, nec promissor tertio, sed ipſi stipulatori reprobando se obligavit. Ex eodem fundamento requiritur, ut mandatum tertii non intervenerit, sed stipulator vel pro ignorante, vel pro sciente, nec tamen volente paciscatur: Certe enim si quis mandato tertii instructus pactum pro eo ineat, non mandatarius, sed mandans tertius paciscitur & stipulatur sibimetipſi; atque adeo pactum per mandatarium initum ad pactorum pro tertio censum referri nequit. Exinde apparet, quod stipulatio pro tertio interposita sit pactum duorum, stipulantis nempe & promittentis, de eo initum, ut stipulans non sibi ipſi, sed tertio, consensu ejus haud interveniente, jus acquirere, & promittentem non sibi, sed itidem tertio non consentienti obligatum habere velit.

§. XI.

Ex hac stipulationis pro tertio indole facilis negotio perspicere licet, quod nemo quisquam tertio valide possit stipulari, eo videlicet effectu, ut illi tertio jus perfectum exin acquiratur. Affatim enim in Syphis præced. fuit demonstratum, & notissimi juris est, omne jus perfectum, quod quis acquirere per pacta intendit, mutuo nisi consensu per §. VI. omnem vero consensum requirere deliberationem intellectus & decretum voluntatis ejus, cui jus per pactum acquiri & obligatio

B 3

injungi

injungi debet; per §. VII. Jam si quis tertio stipuletur, hujus tertii nec deliberatio intellectus, nec decretum voluntatis accessit: ergo ejus deest consensus: qui vero non consensit, ille nec ulla ratione pactum aliquod pepigit, & contradictionem involvit, alterum ex pacto sibi obligatum habere, & tamen cum eo non pepigisse. Hinc sane luce meridiana clarius est, tertio ne minimum quidem juris perfecti acquisitum esse, si vel maxime alius circa ejus mandatum aut consensum cum altero pactus sit. Neque vero ipsi stipulatori quicquam juris acquiritur, cum sibi nihil stipulatus sit: unde sequitur, nec promissori ullam, ex tali quidem stipulatione, obligationem incumbere. Si vero ex hujusmodi stipulatione nec stipulatori, nec tertio, acquiratur jus, nec promissori neque erga stipulatorem, neque erga tertium, obligatio incumbat, sequitur Jure Naturali hujusmodi stipulatione nihil omnino agi.

§. XII.

Idem plane sentendum de promissione pro tertio facta, quod scilicet æque minus pro tertio valide quis posset promittere, eumque adeo stipulatori perfecte obligare, ac tertio stipulari valide & jus ei perfectum a promissore obtainendum, acquirere nemo poterat: cum eadem plane ab utraque parte sit ratio, ex communis pæctorum natura derivanda. Ubi pariter præmonendum, quod promittere pro tertio dicatur is, qui nequaquam se ipsum, sed tertium suo promisso stipulatori obligare, atque adeo stipulanti aut acceptanti non contrase, ipsum nempe promittentem, sed contra tertium jus aliquod acquirere velit. Quodsi enim se ipsum quoconque modo obligat promissor, & stu-

pu-

pulanti adeo aut acceptanti aliquid contra se ipsum (promissorem puta) juris largitur, non tertii, sed sui ipsius nomine promittere dici poterit. Non minus requiritur, ut mandatum tertii illius, cuius nomine promittitur, non intervenerit, sed promissor pro ignorantre, vel sciente nec volente, aliquid alteri acceptanti promittat: si quis enim mandato tertii instructus promiserit, vere non mandatarius, sed ipse mandans promisso censendus, adeoque promissum per mandatarium factum in pactorum pro tertio censem hoc sensu venire nequit. Est itaque promissio pro tertio facta pactum duorum, promittentis nempe pro tertio & acceptantis, quo promittens pro tertio non semet ipsum, sed tertium illum non consentientem acceptanti ad aliquid praestandum obligatum reddere, & in hunc jus perfectum, promissum illud a tertio, non ab ipso promissore exigendi, conferre intendit. Quod igitur tali promissione nihil omnino agatur, ita facile demonstrari potest: Omne jus perfectum, quod oritur mediante pacto, niti debet mutuo consensu, eorum quidem, quibus per pactum jus & obligatio acquiri debet: neque enim sine contradictione in adjecto dici potest, competere jus aut obligationem ex pacto seu consensu ei, qui non consenserit. Jam vero tertius, cuius nomine promittitur, non consensit in id, quod promissum est, & hinc nec quicquam juris competere acceptanti in tertium potest: nec promissor consensit, ut ipse aliquid praestet, neque adeo se debitorem esse voluit, & nec ipse stipulator seu acceptans promissorem, sed tertium, sibi debitum irrito conatu intendit. Ergo cum stipulator seu acceptans nullum sibi jus vel contra pro-

missio-

missorem, vel contra tertium vere acquisiverit, & nec promissor nec tertius obligatos se stipulatori seu acceptanti reddere intenderint, nullum omnino jus, nullaque obligatio ex hujusmodi conventione nascitur, & nihil adeo hoc pacto inter pacientes actum suisse judicandum est.

§. XIII.

Manifeste ergo ex hac tenus dictis sequitur, quod Romani, quando tales stipulationem pro tertio ignorantie, vel scientie, nec tamen volente interpositam utilitem esse praeceperunt, ipsa Juris Naturalis principia atque genuinam conventionum naturam & indolem in eo sint fecuti. Non enim fugiebat Romanos naturalis ac vera hujus invaliditatis stipulationum pro tertio ratio, neque putandum, quod omne punctum in solennitatum subtilitatibus, quas earum stipulationes desiderabant, hac in re ipsis fuerit positum: id quod inde maxime evidens est, quod eandem hanc legis dispositionem ad quævis alia negotia traxerint, quibus peragendis, præter consensum, nulla plane solennitas requireretur. Sic enim cavit Paulus l. II. D. de Obl. & Act. Quæcunque GERIMUS, cum ex nostro contraatu originem trahunt, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant, inanem actum nostrum efficiunt. Et ideo neque stipulari, neque EMERE, VENDERE, contrahere, ut alter suo nomine recte agat, possumus. Si ergo unica ratio inutilitatis stipulationis pro tertio de Jure Civili in defectu solennium posita fuisset, quod nempe nemo pro alio lege agere, i.e. solennia legis actionum seu stipulationum exequi apud Romanos posset: nullum sane appetet fundamentum, quo ad contractus mere consensuales, qualis emitio venditio erat, qui nempe præter

con-

consensum nihil plane solennitatis requirebant, illam pacisendi pro tercio inutilitatem extendere potuissent. Quin porius quod naturalem pacti indolem potissimum, non mera stipulationum solennia, respexerint, quando statuerunt, tertio inutiliter aliquem stipulari, appareat ex rationibus legibus expresse adjectis, nempe *inventas esse stipulationes & obligationes ad hoc, ut unusquisque acquirat sibi, quod sua interest, nam si alii detur, nihil interest stipulatoris, §. 18. J. de inutile stipul.* Etenim hanc rationem non mere civilem, sed naturalem esse, patet inde, quod supra §. VI. & VII. demonstravimus, pactum ipso Jure Naturali requirere consensum eorum, quibus jus vel obligatio acquiri debeat, & contra ipsam adeo naturalem rationem pactorum esse, jus tertio non consentienti ex pacto nasci. Unde naturali ratione unusquisque non nisi sibi consentienti, nequit quam vero alii nescienti vel non consentienti pacto potest acquirere.

§. XIV.

Hisce abunde puto demonstratum esse, quod secundum naturalis aequitatis principia nemo tertio valide possit stipulari, quandoquidem tali stipulatione nec stipulator jus sibi ipse acquirit, quippe quod nequidem stipulando intendebat, nec tertio, cui equidem, sed frustra, jus acquirere intendebat. Restat, ut quasdam jam inde conclusiones deducamus, quibus objectiones declinare possimus, ubi stipulationes pro tertio interpositae jus omnino perfectum & obligationem perfectam

C

pare-

parere videri forte cuiquam possent. Sic nempe illæ stipulationes tertio factæ promissorem perfecte utique obligatum constituant, sub quibus vera aliqua ipsius stipulatoris versatur utilitas. Ast nemo non videt, hanc non esse veram pro tertio stipulationem, sed stipulatorem hoc casu sibi meti ipsi quamvis non immediate, media te tamen atque per indirectum aliquid juris acquirere & promittentem in effectu sibi, non tertio velle obligare. Nemo id in dubium vocabit, qui in vera stipulationis pro tertio definitione nominali §. 10. suppeditata nobiscum convenerit: Et qui aliam substituendo dissentire velleret, sane de vocabulo magis, quam de re ipsa litigaret: qua ratione a parte eorum, qui, neglecta consideratione quid tandem sit vere & proprie tertio quidquam stipulari, multum hoc de arguento differunt & contendunt, ubique fere logomachia nonnihil occurere solet. Sane non illi promisor vi pacti se obligat, in quem terminat actio promissa, sed illi, cui tribuitur jus exigendi: nec pariter illi stipulari dicimur, in quem terminare debet actio promissa, sed illi, cui tribuitur jus exigendi; numquid enim si a fullone, ut vestimentum Tibi resiceret, stipulareris, tertio hoc officium stipulareris, vestimento nempe? vel si auxilium contra latronum incursus ab amicis stipulareris, non tibi, sed latronibus, stipulareris? Ergo si stipulatoris interfit, ut tertius, in quem actio terminare debet, rem promissam consequatur, eo ipso jus aliquod sibi ipsi stipulator acquirere intendit, quod dum peragit, sibi, non tertio stipulatur, quippe cui nullum inde jus, nulla actio nascitur, & stipulatio valet non ratione tertii, sed ratio-

ne

ne ipsius stipulatoris, qui solus exigere promissi adimplitionem potest, licet & ipsius tertii utilitas per accidens concurrat. Hinc & inconsulto tertio, stipulator jus pacto hoc sibi, non tertio quæsum, promissori remittere, & obligationem penitus tollere potest, quantumvis tertius expresse contradicat. Cujuscunque enim consensus non intervenit, cum pactum fuit initum, ejus nec consensus ad pactum rescindendum requiritur, si vel maxime ejus intersit, an pactum inter alios ipso inconsulto initum subsistat, nec ne?

§. XV.

His ergo de causis ex dictamine rectæ rationis parentes valide liberis suis stipulari poterunt vi patriæ potestatis, ipso jure Naturæ parentibus competentis, quo de liberorum educatione omni modo solliciti esse tenentur. Quicquid enim requiritur ad liberos educandos, cum quoad personas, tum quoad eorum bona, si qua ipsis quomodocunque acquisita sunt, illud Jure Naturæ ad patriam potestatem spectat. Est vero patria illa Juris Naturalis potestas jus parentibus competens, cum actiones, tum bona liberorum, quæ utraque proprio liberorum judicio ob lubricum ætatis relinqu nequeunt, suo judicio dirigendi & administrandi ad veram ipsorum liberorum utilitatem. Sic quoad personas liberorum parentibus competit jus ipsis imperandi, & ipsis liberis incumbit obligatio morem gerendi parentibus: quoad bona liberorum parentibus competit jus ea administrandi, & liberi adeo quod a

C 2

paren-

20 *De eo quod secundum naturalis æquitatis principia*

parentibus durante patria potestate naturali utiliter gestum est, ratum habere debent. Hoc ergo fundamento stipulationes parentum, quibus a tertio liberis suis quidquam stipulati fuerint, utique valebunt; & primo quidem, intuitu ipsorum parentum, ita nimirum, ut iis ipsis acquiratur jus exigendi promissa, cum eorum intersit, liberos beneficiis affici, partim ob naturalem affectum, vi cuius non possunt non liberorum utilitati studiose inservire, partim ob obligationem naturalem ipsis incumbentem adimplendam, qua saluti liberorum, a DEO & natura ipsis concretae, omnibus viribus prospicere tenentur: Deinde etiam a parte liberorum hujusmodi stipulatio valida est, ita nempe, ut & iis jus & actio acquiratur; nempe virtute patriæ potestatis, qua quippe omnia liberorum parentum judicio & decreto subsunt, ita, ut quicquid a parentibus nomine & intuitu liberorum gestum ac contractum fuerit, perinde sit, ac si ab ipsis liberis gestum & contractum fuerit. At enim vero nec hujusmodi pactum, liberorum nomine a parentibus initum, proprio significatu pactum pro tertio dici poterit: & quidem neque eo respectu, quo, uti diximus, pater sibi meti ipsi promittentem obligat, quod per se patet; neque intuitu juris, quod, uti pariter dictum, ipsi filio tali pacto adversus promissorem acquiritur, cum voluntas & consensus ejus, cui voluntas alterius subjecta est, pro hujus ipsius voluntate & consensu haberi necessario debeat, id quod ex natura subjectionis & obedientiae, qua subjectus velle id ipsum, quod superior vult, debet, rectius confidanti manifestum est. Cumque Jure Naturali par sit
con-

conditio utriusque sexus parentum, uti intuitu obligationis ad educandos liberos, ita & intuitu potestatis in eisdem, hinc & isto jure mater aequa valide ac pater stipulari liberis poterit. Ipsum Jus Civile Romanum, stipulationes tertio factas diserte rejiciens, patri tamen, cui soli jus patriæ potestatis Romanis proprium, tribuit, jus afferit, filio, quem in potestate habet, cum effectu stipulandi, §. 4. J. de inutil. stipul. quoniam pater & filius sub patria potestate constitutus, pro una eademque persona habeantur: præcipue, cum per filium patri acquiretur, atque adeo patris multum interesset, ut promissor præstaret, quæ pater filio stipulatus erat, & ita pater non tam filio, quam sibi ipsi stipularetur. Filio e contrario emancipato aequo minus, quam extraneo stipulari patrem posse leges Romanæ sanciebant, cessantibus nempe, sublata patria potestate civili, rationibus modo allatis: qua tamen de re paulo aliter sentiendum est secundum Juri Naturalis dictamina.

§. XVI.

Scilicet mea sapientia generalissime interest, ut amico quid stipuler, cui vel jam ob beneficia tantum debo, ut ipsi, quamvis non immediate, mediate saltem per alios professe quavis data occasione merito studeam; vel ubi spes certa affulget, fore, ut intuitu officii, quod stipulando ipsi quid a tertio in eum contuli, emolumentum aliquod ad me perveniat. Cum igitur hac ratione mea intersit, amicum ea con-

C 3

sequi,

sequi, quæ promissor mihi stipulanti pollicitus est: talis stipulatio amico facta perfecte promissorem obligabit, sed eo effectu, ut actio & jus perfectum stipulatori potius, quam amico acquiratur, & stipulator adeo sibi meti ipsi, non tertio, stipulatus sit.

§. XVII.

Audiamus jam summos in Jure Naturæ adorando & perpoliendo duum viros, Grotium, l. 2. c. II. §. 18. & Puffendorffium Jur. Nat. & Gent. l. 3. c. 9. §. 5. Et Grotius quidem distinguendum esse putat inter promissionem *mibi* factam de re danda alteri, & inter promissionem *in ipsius* nomen collatam, cui res danda est. Si *mibi* facta sit promissio, mihi acceptanti ait jus dari efficiendi, ut ad alterum jus perveniat, si & is acceptet; omissa inspectione, an mea privatim intersit, quam introduxit *Jus Romanum*. Addit tamen, neque nihil mea interesse, si per me alter beneficium acquirat. Quod postremum uti optime convenit cum iis, quæ hactenus differuimus: ita prius, idem nempe obtinere omissa etiam inspectione an mea privatim intersit, probare non omnino possumus; cum vix ac ne vix quidem concipere queamus, quid tandem sibi velit jus, mihi, non aliis quæsitum, cum tamen mea plane nihil intersit. Licet enim forte intersit alterius, tertii nempe, cui stipulatus sum, ei tamen, facente Grotio, jus nullum quæsitum est. Unde rectius, ni fallimur, Puffendorfius hanc Romanorum sententiam, quod nempe interesse debeat stipulatoris,

ris , ex ipsa naturalis æquitatis ratione deducit, quod scilicet, si nihil plane stipulatoris intersit , judex non injuria queri possit super importunitate litigatoris , quod sibi aliquis negotium facesseret , cum ipsius nihil interesset : tertio enim , uti diximus , nihil juris qualitum est . Pergit Grotius , si promissio in nomen ejus collata est , cui danda res est , distinguendum venire , an qui acceptat , mandatum habeat acceptandi , an vero non habeat . Si prius , validam recte censet Jure Naturali promissionem ejusque acceptationem , licet Romanis aliud placuerit , ob stipulationum nempe solennia . Ast hæc non est stipulatio , seu acceptatio pro tertio facta , prout ex dictis §. X. apparet: adeoque hic casus ad nostram Disputationem haud pertinet . Sin posterius , eum Jure Naturali acceptationis pro tertio effectum fore statuit vir magnus , ut promissori revocare promissionem non liceat , antequam tertius , quem spectat promissio , ratam eam habuerit aut irritam : sic tamen , ut medio illo tempore is , qui acceptavit , remittere promissum non possit , quia hic non adhibitus fuerit ad jus aliquid accipiendo . Quam tamen sententiam merito reprobat Puffendorius , cum sic acceptans , (si ejus nihil intersit,) adhibetur fere nonnisi vice testis , eo fere sensu : promitto seu assevero , te teste , me Sejo daturum . Tunc enim , utut verbis istis tu annueris , neque tibi jus quæsivisse , neque Sejo , qui actionem tuam pro sua , mandato interveniente , non agnoverit : unde nihil interesse , utrum promisso tu annuas vel non , quippe in tuam personam non colla-

to;

to : Hinc & promissorem revocare promissum posse citra injuriam , & otiosam esse questionem, an ipse acceptans remittere possit jus promisso quæsitum,cum neutri jus ullum, de cuius remissione queri posset, quæsitum sit? Quæ optime congruunt cum iis, quæ supra §. X. demonstravimus.

§. XVIII.

Aut itaque sibi meti ipsi stipulatus quis sit aliquam rem vel factum, quod in tertium terminare debeat, necesse est, aut conventio talis absque mandato tertii inita, invalida erit: quia est contra naturam pacti, immo contradictionem implicat, alterum non consentientem, adeoque nec pacientem, vel jus vel obligationem pactiarum acquirere. Evidem Consultissimus WERNHERUS, refert in Programmate hac de materia Anno MDCCXIX. scripto, disputans ibidem contra Celeberr. Georg. Beyerum, semel iterumque hanc conventionum speciem Facultati Wittenbergensium Juridicæ esse oblata, quæ, acceptatione licet alterius nondum facta, pœnitendi facultatem promissori, invito eo, cui facta sit promissio, haud competere, concordibus suffragiis pronunciaverit. Ast naturalis pactorum indoles, quam semper Germani in vita civili & foris suis maxime respexerunt, veram hujus pronunciati rationem & aequitatem versari in eo, quod ejus, cui promissio facta, interesse judicaverit inclyrum illud collegium, ut promissum in tertium conserretur; cum in genere, recte judicante Grotio,

Grotio, mea non plane nihil interfit, si per me alter beneficium a tertio consequatur. Sed ita, uti sapius monuimus, & ex definitione pacti §. VI. & acceptationis pro tertio §. X. apparet, non pactum pro tertio adest, sed pactum ipsorummet paciscentium.

§. XIX.


Hinc est, quod & ipsi Romani, quoties stipulator verum aliquod interesse intuitu stipulationis alteri facta docere posset, toties promissorem perfecte obligari recte statuerent, quamvis non tertio, sed ipsi stipulatori. Saltem generalius illud stipulatoris interesse, ut per ipsum tertius beneficio afficiatur, ipsis nimis vagum videbatur & incertum; & hinc, ut incertitudini huic & obscuritati medela afferretur, suadebant, ut, si quis tertio stipulari valide vellet, pœnam stipulationi adjiceret, ita nempe, ut si promissor promissum non compleat, pœna stipulatio stipulatori committeretur. Intendebant itaque Romani per pœnam stipulationi alteri facta adjectam, ut stipulator eo ipso certo ac specialiter determinare deberet, quanti ejus interfit, ut tertius rem in stipulationem deducatam consequeretur, quæ sane sanctio civilis ab æquitate naturali non prorsus abludit, dum hac ratione multis litibus ac discordiis obviam itur, quæ alias in probando eo, quod stipulatoris interfit, facile subordinari poterunt. Nec tamen etiam improbare prorsus possumus effatum Balduini, ad §. 4. J. de inutil. stipul. qui neglecta speciali ejus, quod interest, determinatione, & generali utilitatis amicis benefaciendi ratio-

D

ne

ne contentus, melius fere, inquit, esse, ut statuamus in universum, ex bono & aequo licere alteri stipulari. Nempe dummodo id ex naturali pactorum essentia supponas, quod haec tenus demonstravimus, tali stipulatione non tertio, sed ipsi stipulatori acquiri jus, & hunc adeo vere sibi ipsi stipulari actum, cuius executio immediate in tertio terminari debeat: salvum de cetero prudentiae legislatorum civili erit, modum determinare, quo stipulator jus sibi tali pacto quizatum persequi vel possit, vel debeat, nempe ut promissor vel praeceps adigi possit ad actum, re adhuc integra, praestandum, vel ad id, quod interest stipulatoris, praesertim re non amplius integra. Quicquid horum legislator faciat, illud saltem constat, tertium nihil juris acquirere tali pacto, nec adeo id, in quantum valet, esse pactum pro tertio, sed solius stipulatoris & promissoris. Et hinc unicum hoc coroni dis loco adjicere adhuc liceat, nobis videri, dissensus eorum, qui hoc de argumento controvertunt, maximam partem posse conciliari, dummodo clare ac perspicue definitur, quid sibi proprie velint notiones illae pacisci pro tertio, tertio stipulari, tertio promittere, remota enim harum dictionum ambiguitate maximam hujus controversiarum partem sua sponte cessare, nobis persuadendum est.

T A N T V M.





Sb,

Wor 1018 kat 12





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

P. 12. Num. 13. *H. 4.*

1728, 16.

TATIONEM PHILOSOPHICAM

DE EO QVOD

DVM NATVRALIS

TATIS PRINCIPIA

O TERTIO VALIDE

OSSIT STIPVLARI

MI PHILOSOPHORVM

DINIS CONSENSV

EM I MAII A. C. 10 CC XXIX

ERVDITORVM EXAMINI

S V B M I T T V N T

CHEMNICENSES MISNICI

R A E S E S

RICVS BALTHASAR

ÜBLER VS

E T
E S P O N D E N S

V S BALTHASAR

ÜBLER VS.

KÖNFIRED
UNIVERS.
ZVHALIE

LIPSIAE
RIS BREITKOPFIANIS.